

47, f. 277.

11. *A Memorial to the Cardinals on behalf of priests said to have been deprived of faculties.*<sup>a</sup>

Sept. 6.

De statu Sacerdotum appellantium quantum ad facultates quas Archipresbiter dicit se ab eis abstulisse.

Licet Archipbr a sacer<sup>d</sup><sup>bus</sup> appel<sup>bus</sup> facultates se abstulisse dixit, et ablatas adhuc manere nuper in Anglia declaravit, contra verba et sensum ultimi Brevis SS<sup>mi</sup> D. N., nemo tamen sacerdotum ab vsu facultatum suarum adhuc abstinuit, quia literis constitutiuis Archipbri manifeste constat, ipsum nullam prorsus auctoritatem habere sibi a S<sup>te</sup> sua concessam auferendi facultates nisi ex precedente aliqua culpa et ex cognita incorrigibilitate post fraternas præmissas admonitiones. Sacerdotes autem nullam aliam culpam noscuntur commisisse ob quam dicuntur facultatibus priuati, nisi quod ad sedem Ap<sup>l</sup>icam appellarunt et semetipsos ab iniusta schismatis nota moderate defenderunt.

Preterea quod ad decreta Archipbri attinet, eorum transgressio pro culpa non habetur, tum quia nullam condendi leges uel decreta sancienti potestatem habere videtur (quod tamen declarari cupimus) tum quia in nullo alio nisi in prædictis duobus casibus, decreta eius transgressa fuerunt. Quapropter si appellantibus facultates tanquam vere amissæ uel ablatæ restituantur, innocentes tanquam gravissimis criminibus rei condemnabuntur; quæ ab Archipbro iniquiss<sup>e</sup> et absque ulla sedis Ap<sup>l</sup>icæ auctoritate patrata fuerunt, quasi recte facta confirmabuntur; quæ iam fuerunt per Ill<sup>os</sup> DD<sup>os</sup> decreta in hac controversia invalida reddentur et infinitorum fere hominum conscientia de iterandis confessionibus scrupulis torquebuntur.

Postulauimus itaque, sicut et modo humillime postulamus, vt declaretur, omnes Appellantes esse quoad facultates suas in eodem statu quo fuerunt ante inceptam hanc de schismate controuersiam. Quod non ex aliquo nostro scrupulo aut dubitatione de validitate

<sup>a</sup> In the handwriting of Mush.

confessionum et facultatum fieri petimus, sed ad satisfactionem eorum qui de hac re sine causa dubitare voluerunt, et conscientias nostrorum Catholicorum scrupulis et anxietatibus vexare delectantur.

Exhibitum Card<sup>b<sup>us</sup></sup> 6. Septembris inter eundum ad congregationem pro rebus Anglicis secundam.

12. *Letter to the Pope from the four English priests.*

47, f. 278.

Beatissime Pater.

Maxima et unica post deum consolatio nobis est, quod vestrae paternae considerationis viscera ita patentia habeamus, ut in cunctis angustijs nostris adeo nobis liceat cum certa refrigerij spe confugere. Itaque nos quatuor presbiteri Angli, quos de summa clementia vestra et benignitate sic in patrocinium suscipere dignati estis, ut ad vitam tuendam necessaria vltro obtuleritis, humillime supplicamus B<sup>m<sup>e</sup></sup> paternitati v. ut causas ecclesiae nostrae quae iam diu coram S<sup>te</sup> v. agitatae et discussae fuerunt, cum primum per grauiora negotia licebit, terminare velitis; itaque interim dum hoc commodè possit fieri, aliquid nobis eleemosinarij subsidij imparti[ri] dignemini, quo praesentibus nostris necessitatibus subueniatur. Hoc eo magis nunc a S<sup>te</sup> v. petere cogimur, quod nostrum aliqui grauioribus decumbunt febris, qu[orum] curae multos sumptus requiri experimur. Nos certe (B<sup>m<sup>e</sup></sup> pater) eo inopiae redacti sumus, ut cum antea singuli ad frequentia ministeria prestanda singulos famulos habere consueverimus, iam consenescentes et multum aduersa valetudine laborantes, ne vnum quidem famulum ad communia munera obeunda inter omnes quatuor alere aut apud nos retinere valeamus.

[*Endorsed*] Exhibitum 9 Sept.